

communi stipite, quo perspecto numeret ab illa remotiori in linea recta usque ad communem utriusque stipitem proximum inclusive, et inferat tot gradibus distare remotiorem a communi stipite, quot sunt personæ una dempta, juxta regulam n. 13, positam; consequenter tot gradibus easdem distare inter se, quot gradibus remotior a communi stipite. Si autem ambæ personæ æqualiter distant, observet regulam supra n. 17, positam, si ambas invenit in linea recta, habet paratam pro hac regulam num. 13.

Ne indigneris, amice lector, quod doctrinam hanc de arbore consanguinitatis tam simpliciter et tanta repetitione facta tradamus, quia etiam pro simplicioribus scribimus, quorum aliquos in hac re non parum confusos novimus.

24. *Consanguinitas jure antiquo usque ad septimum gradum dirimebat, hodierno autem novo jure tantum ad quartum dirimit.* — Quæritur III. Quousque seu ad quotum gradum impedimentum cognationis carnalis, seu consanguinitatis, et quo jure dirimat matrimonium inter consanguineos? Resp. I. Quamvis antiquo jure usque ad septimum gradum inclusive in linea transversali impedimentum consanguinitatis matrimonium dirimerit, can. *Nullum*, 7, can. *Consanguinitate*, 17, cau. 33, q. 3, ibi: « De consanguinitate sua uxorem nullus ducat usque potest generationem septimam, » cum concord. Tamen hodierno jure in dicta linea transversali non nisi ad quartum gradum inclusive dictum impedimentum dirimit matrimonium. Unanimis ac certa, textu expresso c. *Non debet*, 8, h. t., quod est ex concilio generali Lateranensi desumptum, ubi antiquæ constitutiones revocatæ fuere præmissa revocationis causa ac justificatione illis verbis: « Non debet irreprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, præsertim eum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit; quoniam ipse Deus ex nis, quæ in Veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in Novo. »

25. *Impedimentum consanguinitatis in linea recta jure ecclesiastico in infinitum dirimit.* — Resp. II. Impedimentum consanguinitatis in linea recta jure ecclesiastico dirimit in infinitum, Abbas, in c. *Non debet*, h. t., num. 8; Sylvester *ŷ. Matrimonium*, 8, q. 6, dict. 5; Engel, h. t., num. 9, et alii contra Sanchez, lib. VII, disp. 51, num. 22; Pontium, Fa-

gnanum, et plures alios arg. I. *Nuptiæ*, 53, ff. *de Ritu nuptiarum*, ibi: « Nuptiæ consistere non possunt inter eas personas, quæ in numero parentum liberorumve sunt, sive proximi sive ulterioris gradus sint usque ad infinitum. » Quæ lex cum nullibi reperitur correctæ a jure canonico (nam c. *Non debet*, videtur loqui de sola linea transversali) in eo quoque observanda venit; quia « sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur. » Fundamentum adversariorum adducere, et solvere superfluum videtur; quia, cum ipsi et omnes concedant, usque ad quartum saltem gradum hoc impedimentum dirimere, ultra illud autem in praxi vix possibilis sit casus, quod quis ascendens quintam generationem in linea recta nubere possit, aut velit, mera speculativa foret de hoc disputatio.

26. *Quoad primum gradum ejusdem lineæ etiam jure naturæ.* — Quæritur IV. An impedimentum consanguinitatis non tantum jure humano, sed etiam divino et naturali matrimonium dirimat? Resp. I. Impedimentum consanguinitatis inter consanguineos in linea recta quoad primum gradum, parentes videlicet, et liberos, dirimit jure divino, et naturali. Caret controversia. Et ratio est; quia ipse instinctus naturalis matrimonium inter parentes et liberos abhorret, ut proin merito dicatur I. *Adoptivus*, 14, § 2, ff. *de Ritu nuptiarum*. « in contrahendis matrimoniis naturale jus et pudor inspiciendus est: contra pudorem est autem, filiam in uxorem suam ducere. »

27. *Imo etiam quoad reliquos gradus lineæ rectæ jure naturali dirimit.* — Resp. II. Quamvis aliqui cum D. Thoma, in 4, dist. 40, q. un., n. 3, et Sanchez, lib. 7, disp. 51, n. 19, velint, impedimentum consanguinitatis, matrimonia ultra primum gradum jure naturæ non dirimere, consequenter Papam dispensare posse, quod avus neptem suam possit ducere in uxorem: alii vero ut Gonzal. in c. *Quod super*, 5, h. t., usque ad quartum, alii usque ad septimum gradum dicto impedimento vim tribuant ex natura matrimonium dirimendi; probabilissimum tamen est, dictum impedimentum jure naturæ in infinitum dirimere matrimonia inter consanguineos in linea recta, ut si Adam, vel Eva adhuc viverent, nulli ex omnibus hominibus nubere possent, ita Scotus, in 4, dist. 4, § *De secundo*; Sporer, v. 4, cap. II,

sect. 1, n. 68; Herinx, et alii Scotistæ, arg. cit., I. *Nuptiæ*, et I. fin. *de Ritu nuptiarum*, ibi: « Jure gentium incestum committit, qui in gradu ascendentium, vel descendentium uxorem duxerit » Concordat § *Ergo non omnes. Institut. de Nupt.* Ratio est, quia omnes ascendentes respectu descendentium habent veram rationem principii, et veniunt nomine genitorum, et parentum, descendentes vero nomine liberorum, arg. cit. I. *Nuptiæ*, 53, ff. *de Ritu nuptiarum*. atqui inter parentes et liberos jure naturæ matrimonium est irritum, I. *Adoptivus*, 14, ff. eod. ergo. Accedit, quod non habeatur casus, quo cum aliquibus in linea recta dispensatum esset.

28. *Inter consanguineos primi gradus lineæ transversæ, fratres nempe et sorores matrimonium jure naturæ dirimit.* — Resp. III. Inter consanguineos lineæ transversæ in primo gradu inter fratres nempe et sorores matrimonium jure naturæ est nullum, ut proin in eo Papa dispensare non possit. Scotus, in 4, dist. 40, q. un., ubi solvit rationes oppositæ sententiæ. Guttierrez, *de Matrim.*, cap. XVIII, num. 20; Sanchez, lib. VII, disp. 52, num. 41; Contra D. Thomam 2, 2, q. 154, a. 9, et plures alios citatos a Sanchez, loc. cit., n. 40, arg. c. *Gaudemus*, 8, *de Divortiiis*, ubi Papa decrevit, quod infideles conversi ad fidem separari non debeant, si in secundo et ulteriori consanguinitatis gradu existentes antea matrimonio juncti fuere; quia legibus ecclesiæ infideles non arctantur; ergo a sensu contrario, si in primo gradu uniti essent, separandi forent, eo quod talis gradus jure naturæ dirimat. Hinc etiam in concilio Tridentino, sess. 24, *de Reform. matrim.*, cap. v, dicitur, in secundo gradu consanguinitatis adhuc dispensari posse cum principibus personis; ergo a contrario in primo non, consequenter in primo gradu est contra jus naturæ.

29. *Ratio hujus allegatur.* — Ratio conclusionis est; quia inter fratres et sorores est innatus quidam pudor et reverentia naturalis, cui vaide adversatur actus conjugalis, adeo ut omnes etiam infideles nationes bene instructæ, solo lumine naturali ductæ ab hujusmodi conjugio abstinerent, et quæ talia permittebant, barbaræ reputabantur. Hinc etiam nullibi legitur, quod ecclesia in primo gradu unquam dispensaverit.

30. *Solvuntur instantiæ.* — Nec obstat, quod ab initio mundi Cain duxerit sororem suam in uxorem, Resp. enim cum doctore

subtili, id factum esse ex necessitate ob defectum aliarum feminarum, urgente alio præcepto naturali fortiori de conservando genere humano; concurrentibus enim duobus vinculis, quod fortius est, ligat.

Dices, etiam multiplicato jam genere humano, et cessante illa necessitate Abraham vir sanctus duxit Sarai sororem suam prout ipse faletur, Genes., xx, ibi: « Vere soror mea est filia patris mei, et non filia matris meæ. » Resp. hoc dici, quia Sarai fuit consanguinea Abraham, prout expresse habetur can. *Quæritur* 22, q. 3, ibi: « Soror dicitur; quia filii fratris erat, » utpote genita ex Aran fratre Abraham; siquidem in Scriptura sancta etiam soli consanguinei dicuntur fratres et sorores, juxta quod aliqui ad Christum dixerunt *Marci*, cap. II: « Ecce mater tua, et fratres tui (id est consanguinei) te toris quærent. » Et Tobias junior vocat Sarai, sororem suam, Tobie, cap. VIII, quæ tamen fuit solum consanguinea ipsius. Quin imo observat D. Thomas, p. III, q. 28, a. 3, ad 3, quod in sacra Scriptura dicantur fratres quatuor modis, videlicet, natura, gente, cognatione et affectu.

31. *Inter consanguineos secundi et ulterioris gradus lineæ transversæ, jure solo ecclesiastico dirimitur matrimonium.* — Resp. IV. In secundo et ulterioribus gradibus lineæ transversæ, solo jure ecclesiastico, non item divino dirimitur matrimonium. Communis ac certa, arg. *Concil. Trident.*, sess. 24, *de Reform. matrim.*, cap. v, ubi expresse habetur, posse in secundo gradu dispensari, consequenter gradum secundum non dirimere jure naturæ; cum in hoc papa nequeat dispensare. Accedit, quod jam sæpe in secundo consanguinitatis gradu fuerit dispensatum. Confirmatur ex cit. c. *Gaudemus. de Divortiiis*, ubi matrimonium infidelium inter consanguineos in secundo gradu agnoscitur validum, consequenter non est contra jus naturæ.

## § II.

## DE AFFINITATE, ET IMPEDIMENTO INDE PROVENIENTE.

32. *Affinitas, et affines quia, ac unde?* —

Quæritur I. Quid, quotuplex, et unde sit affinitas? Item inter quos dirimat matrimonium? Resp. I. Affinitas est propinquitas personarum ex copula carnali perfecta pro-

veniens. Ita in re communis. Dicitur autem: « Affinitas quasi duorum ad unum finem unitas, eo quod duæ cognationes diversæ per nuptias, vel coitum copulantur, et alter ad ulterius cognationis finem accedit; » prout l. *Non facile*, 4, § 3, ff. *de Gradib.*, bene advertit Glossa *ad Arbor. affinitat.*, cau. 35, q. 5. Cum enim vir et femina per copulam carnalem fiant una caro, juxta illud Genes. II, *Erunt duo in carne una*, et I *ad Corinth.*, 6. « Nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur, » hinc consanguinei femina carnaliter cognita fiunt affines viri, et consanguinei viri carnaliter cognoscentis fiunt affines femina carnaliter cognita.

33. *Antiquo jure triplex erat genus affinitatis.* — Resp. II. Quamvis olim de jure antiquo tria fuerint genera affinitatis, primum nempe, secundum, et tertium, hodie tamen tantum unicum, idque inter tria antiqua primum datur. Quod olim tria fuerint, patet ex can. *De propinquis*, 3, cau. 35, q. 3, et refertur c. *Non debet* 8, h. t., ac optime ibidem §. In secundo explicat Glossa. Primum, affinitatis genus (quod etiamnum, et quidem solum durat) intercedit inter uxorem, et consanguineos viri, ac vicissim inter maritum, et consanguineos uxoris, quod, si mortuo v. g. viro uxor ejus alium virum accepit, inter hunc virum et consanguineos prioris mariti oriebatur secundum genus affinitatis cit. can. *De propinquis*, cau. 35, q. 3, simulque soboles ex his secundis nuptiis suscepta, non poterat contrahere matrimonium cum consanguineis prioris conjugis defuncti, can. *Fraternitatis*, cum seqq., cau. 35, q. 10. Si dein mortua illa relicta conjuge alter maritus ejus nupserit alii feminae, eamque cognoverit, inter hanc et consanguineos mariti oriebatur tertium genus affinitatis.

34. *Hodierno autem jure unicum tantum est. Inter quos?* — Resp. III. Hodierno jure est unicum tantum genus affinitatis, idque primum ex præfatis tribus, videlicet præcise et solummodo inter virum et consanguineos uxoris, seu alias carnaliter cognita, et vicissim inter uxorem seu alias cognitam, et consanguineos mariti vel cognoscentis. Unanimis ac certa, textu expresso c. *Non debet*, 8, h. t. ubi secundum et tertium affinitatis genus sublatum habetur illis verbis: « Cum ergo prohibitiones de conjugio in secundo et tertio affinitatis genere minime contra-

hendo, et de sobole suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri non copulandum prioris, et difficultatem frequenter inducant, et aliquando periculum pariant animarum; cum cessante prohibitione cesset effectus, constitutiones super hoc editas sacri approbatione concilii revocantes, præsentis constitutione decernimus, ut sic contrahentes de cætero libere copulentur. »

35. *Pater et filius ex una parte possunt nubere matri et filia ex altera parte; sicut etiam duo fratres duabus sororibus.* — Hinc sequitur, atque expresse habetur c. *Quod super*, 5, h. t., quod pater et filius ex una parte, sine omni dispensatione possint contrahere cum matre et filia ex altera parte: item duo fratres cum duabus sororibus, aut unus eorum cum matre, alter eum filia; item duo cognati aut consanguinei cum duabus consanguineis aliis; eo quod (ut ibidem bene subjungitur) « licet omnes consanguinei viri sint affines uxoris, et omnes consanguinei uxoris sint viri affines, inter ipsos tamen consanguineos viri ex una parte, et inter consanguineos uxoris ex altera parte nulla prorsus affinitas est contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri. »

36. *Affinitas non tantum ex licita et conjugali copula sed etiam illicita oritur.* — Resp. IV. Affinitas oritur non solum ex copula conjugali licita, sed etiam ex illicita tam adulterina intra matrimonium, quam fornicaria extra illud. Conclusio habet tres partes estque certa quoad omnes. Et quidem quod ex copula conjugali licita oriatur, patet ex toto h. t. Quod etiam ex adulterina sequatur, patebit ex dicendis infra num. 53. Quod tandem ex copula fornicaria extra matrimonium oriatur, constat ex concilio Tridentino, sess. 24, *de Reform. matrim.*, cap. IV, cujus textum vide infra, num. 47, et c. *Ex litteris*, 8, et c. *Veniens*, 9. « De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ vel sponsæ. » Ratio est, quia non tantum per copulam conjugalem vir cum femina fit una caro, juxta Genes., cap. II, sed etiam per copulam illicitam, ac fornicariam juxta textum I *ad Corinth.*, 6, supra num. 32, citatum.

37. *Affinitas non oritur nisi ex copula perfecta ad generationem prolis sufficiente.* — Resp. V. Ad hoc, ut copula sive conjugalis licita, sive fornicatio illicita inducat affinitatem, et inde consurgens impedimentum, debet esse perfecta, et talis, quæ sufficit ad

generationem prolis, ita ut saltem vir intra vas feminae seminet, Sanchez, lib. VII, disp. 64, n. 8; Bosco, disp. 12, *de Impedim. matrim.*, sect. 6, concl. 1; Sporer, part. IV, cap. I, sect. 1, num. 74. Ratio est, quia ideo ex copula carnali consurgit, affinitas, quod ob illam vir et femina fiant una caro, juxta dicta, arg. can. *Fraternitatis*, 1, cau. 35, q. 10; atqui non fiunt una caro, nisi copula sit perfecta et talis, quæ sufficiat ad generationem prolis, qualis est sola, qua saltem vir intra vas feminae seminat, arg. can. *Lex Divina*, 18, cau. 27, q. 2, ubi pontifex ait: « Sed neque osculum parit propinquitatem: quod nullam facit seminis commixtionem. » Concordat can. *Extraordinaria pollutio*, 11, cau. 35, q. 3, et c. II, *de Conversat. conjugat.* atque amplius probat Sanchez, lib. II, disp. 21, n. 5.

38. *Solvitur instantia.* — Nec obstat conclusioni c. *Juvenis*, 3, *de Sponsal.*, et c. *Fraternitatis*, 7, *de eo, qui cognovit*, ubi etiam ille repellitur a conjugio cum illa, cujus consanguineam copula solum attentata et non perfecta cognovit. Resp. enim, illum attentatorem fuisse repulsum, non propter affinitatem, utpote minime contractam, sed ob impedimentum publicæ honestatis, quod ex sponsalibus cum priori consanguinea contraxerat.

39. *Fiunt deductiones.* — Infertur I. Ex sola copula etiam vase penetrato facta, semine tamen viri vel omnino non, vel extra vas muliebri emisso, non contrahi affinitatem.

40. Infertur II. Illam etiam non contrahi ex copula sodomitica; nec ex quacunque alia pollutione extra vas generationi deputatum facta, multo minus ex tactibus quantumvis enormibus.

41. Infertur III. Illam neque oriri ex matrimonio rato nondum consummato, etsi ex eodem oriatur impedimentum publicæ honestatis.

42. Infertur IV. Pariter non oriri affinitatem ex copula, in qua sola femina seminat. Ratio hujus et harum omnium illationum est, quod ex his copulis et tactibus, utpote ad generationem minime sufficientibus, non fiat una caro inter copulatos carnaliter, consequenter nulla affinitas, cujus causa principalis est carnis unitas inter carnaliter se cognoscentes per dicta supra num. 37.

43. Dicitur autem notanter in conclusione, « ita ut saltem vir intra vas feminae semi-

net; » quia hoc ad contrahendam affinitatem sufficit, nec requiritur, ut etiam femina seminet, prout cum communiori et probabiliori aliorum recte docent, Sanchez, lib. VII, disp. 64, num. 17 et 21; Abbas. in c. *Fraternitati*, 7, *de eo, qui cognovit, in fine*, et ibi Hostiensis ad finem. Sylvester, §. *Matrimonium*, 8, quæst. 15; Armilla, §. *Matrimonium*, num. 26 et alii a Sanchez citati. Ratio est, quia per dicta num. 37, et concordem aliorum etiam adversariorum requiritur et sufficit talis copula, ex qua possit fieri generatio prolis; atqui ad hujus generationem non requiritur, quod etiam seminet femina, sed sufficit sola seminatio viri intra vas mulieris, ut ex sententia D. Thomæ, p. III, q. 31, a. 5, ad 3; Aristotelis, Avicennæ, et communiore medicorum docet Sanchez, loc. cit., et lib. II, disp. 21, num. 10, dicens: Sententiam D. Thomæ sequi omnes doctores, quæ confirmatur etiam experientia, et confessione plurimarum honestarum et piarum, fideque dignissimarum feminarum, de quibus fertur, eas omnino assecurasse, quod sine ulla propria seminatione, et solo mariti semine conceperint.

44. *Ad contrahendam affinitatem requiritur, et sufficit seminatio viri.* — Infertur proin cum Sanchez, lib. VII, disp. 64, num. 7, oriri affinitatem ex copula, viro seminante, habita, cum femina ignorante, dormiente, ebria item cum prorsus invita, de qua ultima specialis extat textus c. *Discretionem*, 6, *de eo, qui cognovit*.

45. *Contrahitur etiam per copulam cum muliere ignorante, aut dormiente habitam.* — Nec dicas contrariam sententiam dicentem, quod etiam seminatio feminae requiratur ad inducendam affinitatem, esse probabilem, hoc ipso, quod secundum probabilem sententiam ad generationem prolis tam feminae quam viri requiratur seminatio, prout pluribus relatis aliis ipse etiam Sanchez probabile censet, lib. II, disp. 21, numer. 11, ergo etiam hæc sententia saltem in foro interno practicari poterit, præsertim cum serviat pro multorum pœnitentium consolatione, et liceat sequi sententiam probabilem relicta probabiliori. Resp. transmissio ant. negando conseq. quia etsi, dato non concessio, etiam hæc sententia foret probabilis, tamen si nostra est probabilior, prout revera est, uti fatentur etiam plures ex adversariis, neutiquam licebit illam probabilem sequi, eo quod agatur de valore sacramenti matri-